444

E

178

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 178



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 178

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 178



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 178



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 178



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 178

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 178

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 178

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 178

KW 444 E 178

DISPUTATIO JURIDICA
INAUGURALIS
DE
JUREJURANDO LITIS DECISORIO.

QUAM

FAVENTE DEO T. O. M.

Ex Auctoritate Rectoris Magnifici

D. PETRI LATANÉ

Med. Doctoris, ejuſdemque facultatis in hac Illuſtri Academia Profeſſoris Ordinarii.

NEC NON

Ampliſſimi Senatus Academici unanimi Conſenſu, & Nobiliſſimæ FACULTATIS JURIDICÆ Decreto,

PRO GRADU DOCTORATUS,

Summiſque in UTROQUE JURE honoribus ac Privilegiis rite & ſolenniter obtinendis,

Publice ventilandam proponit

THEODORUS VAN FOREEST,

Horna Weſt-Friſ.

Ad diem Junii hora, locoque ſolitis.

FRANEQUERÆ,

Apud JOHANNEM GYZELAAR, Illuſtr. Friſiæ Ordd. atque Eorundem Academiæ Typograph. Ordinar. MDCXCVII.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 178

NOBILISSIMIS. AMPLISSIMIS. GRAVISSIMISQUE.

V I R I S.

D. D. JACOBO. van. FOREEST.

J. U. D. CIVITATIS. HORNANÆ VIRO. CONSULARI. AC. SENATORI. &c. PARENTI. INDULGENTISSIMO. SUMMA. IN. ÆTERNUM. REVERENTIA. ET. PIETATE. VENERANDO.

D. D. GERARDO. van. EGMONT. vander. NYENBURGH.

J. U. D. DOMINO. DE. PETTEN. ET. NOLMERBAN. REIPUBLICÆ. ALCMARIANÆ. VIRO. CONSULARI. AC. SENATORI. &c. AVUNCULO. SUO. SUMMA. OBSERVANTIA. COLENDO.

D. D. FRANCONI. vander. GOES.

J. U. D. URBIS. DELPHENSIS. VIRO. CONSULARI. ET. SENATORI. &c. AVUNCULO. MAGNO. PLURIMUM. HONORANDO.

Diſputationem hanc Inauguralem, in debitæ reverentiæ, grati animi, & obſequii pignus

D. D. D.

AUCTOR.

KONINKLIJKE BIBLIOTHEEK

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 178

DISPUTATIO JURIDICA
INAUGURALIS
De Jurejurando Litis Deciſorio.

PROOEMIUM.

FIdes, fundamentum juſtitiæ, ſi non amdudum a terris receſſiſſet, non opus fuiſſet, ut Deo teſte & vindice, atque adeo ſumma auctoritate muniretur, quod nequitia violarat. Hæc jurisjurandi origo, hæc cunabula etſi pudenda, attamen neceſſaria ob corruptam fidem. Hoc vinculum ad adſtringendam fidem priſci ſumma coluere obſervantia & religione in ſacris, profanis, bello & pace, domi ac foris. Id indicant leges in XII. tabulis, indicant fœdera, quibus etiam cum hoſte devincitur fides, indicant notationes animadverſionesque cenſorum, qui nulla de re diligentius quam de jurejurando judicabant *Cic. lib.* 3. *de off. cap.* 31. Ejus variæ fuere ſpecies, ritus & formulæ apud Romanos aliaſque gentes. Utinam autem plerique inter Chriſtianos, qui per Deum ſolum recte jurant, & quibus omnis contradictionis terminus eſt jusjurandum ad confirmationem adhibitum *Heb. Cap.* 6. *v.* 16. ſæpenumero hoc non pro joco & quaſi puerili luſu haberent, ac ita abuterentur in animæ ſuæ periculum & detrimentum proximi!

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 178

CAPUT I.

Ut autem pauca de jurejurando in genere præmittamus, incipiemus a definitione, itaque definitur a Cicerone *lib. 3. d. off. c. 29. affirmatio religioſa.* Quæ definitio, etſi commoda explicatione contineat quicquid ad jusjurandum deſcribendum requiritur, nimirum, quod religioſa hæc affirmatio ſit illa, qua juramus invocato in teſtem eo, cui religio debetur, & quidem præcipua, Deo, ſcilicet; tamen meo judicio paulo erit plenior, ſi addantur hæc, *quæ fit Deo teſte cum exſecratione noſtri ſi fallamus.* Deus enim in teſtimonium vocatur, & invocatur tanquam viſcerum animorumque perſcrutator: non invocatur autem ut otioſus ſpectator, ſed vindicem habens oculum; ac qui proinde nos, ſi non liquido & ex animi noſtri ſententia juremus, ſed pejeremus, vult puniri; ejuſque iram & indignationem imprecamur nobis, noſque ipſos exſecramur ſi fefellerimus.

Quoniam autem mihi propoſitum non eſt omnem materiam de jurejurando excutere, ſed tantum illam ſpeciem, quæ jurisjurandi litis deciſorii nomine vulgo venit, animus mihi non eſt pluribus agere de jurejurando in genere ejuſque variis apud diverſas gentes olim hodieque formis ac modis, aliiſque quæ ad hanc materiam pertinent.

Illud dixiſſe ſufficiet, uſum jurisjurandi eſſe multiplicem, vel enim interponitur obligandi ſeſe, vel negotii non improbati confirmandi cauſa; quibus tamen caſibus regulariter jurisjurandi jure civili non eſt major vis, quam pacti *l. 7. §. 16. ff. d. pact. l. 5. §. 1. C. d. legib.* vel adhibetur religionis injiciendæ cauſa, ut quod a teſtibus præſtatur jusjurandum, aut a partibus & advocatis, nempe, jusjurandum calumniæ: vel ob dolum adverſarii, vel interitum rei

ad-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 178

ad taxationem, quod vocatur juramentum in litem; quod lato ſenſu quidem etiam poteſt referri ad litis deciſorium, ſed ſtricte loquendo ab eo ſeparatur, ut etiam in jure noſtro ab eo diſtinguitur: & revera etiam non tam decidit controverſiam ipſam, quam taxat rem, & interponitur re jam deciſa. de quibus noſtrum hic non eſt agere, & hæ aliæque ſpecies enumerantur fuſe in *Coll. Arg. ad h. t. th.* 3.

CAP. II.

Jusjurandum, quod vulgo vocatur litis deciſorium, & de quo tractare nobis propoſitum eſt, nomen accepit ab eo, quod ad lites & controverſias inter partes decidendas inventum eſt, dividiturque in *Voluntarium*, *Neceſſarium*, & *Judiciale:* quæ tres ſpecies enumerantur in rubrica *tit. ff. d. jurej.* quas omnes ſpecies, non ſolum *Voluntarium* (ut voluit Bachovius *ad Treutl. pag.* 818.) litis deciſorias dicimus, ut etiam vulgo interpretes loquuntur; etſi non ignoremus, in duabus ex hiſce ſpeciebus, nempe *Neceſſario*, & *Judiciali* adhuc opus eſſe ſententia judicis, ut poſtea dicemus; nam illa ſententia revera juxta jusjurandum illud fertur, quo jam ante cauſa fere erat deciſa: atque adeo & illæ ſpecies deciſioni cauſæ hoc ſenſu dici poſſunt inſervire.

In definiendis autem hiſce tribus ſpeciebus diſſentiunt interpretes Latini & Græci; & hi non tantum à ſe invicem, ſed & Latini inter ſe, & Græci inter ſe. cui diſſenſui cauſam dedit quod denominationes illæ jurisjurandi litis deciſorii nuſquam occurrant, niſi in rubrica *tit. ff. d. jurej.* nec uſquam explicetur unde denominentur.

Et quidem primo videbimus, quomodo Latini inter ſe differant, deinde quomodo Græci, & tunc noſtram ſententiam de hiſce ſpeciebus adnectemus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 178

Latini quidem inter ſe conſentiunt in Jurejurando *Voluntario*, ut id vocetur, *quod pars defert parti extra judicium*; ſed diſſenſus eſt circa *Neceſſarium* & *Judiciale*. Quidam enim ex illis *Neceſſarium* appellant, *quod a judice defertur propter inopiam probationum in cauſis dubiis*; *Judiciale* vero, *quod a parte parti defertur in judicio.*

Alii *Neceſſarium* vocant, *quod a parte parti defertur vel refertur in judicio*; *Judiciale*, *quod a judice defertur in cauſis dubiis.*

Græci quoque longe diſcrepant inter ſe, quidam enim tradunt, *Voluntarium* eſſe, *quod extra judicium defertur ex voluntate partium*: *Neceſſarium*, *quod datur ex delatione actoris*, & *ſententia judicis*: *Judiciale*, *quod judicis ſententia etiam nolentibus iis qui litigant, controverſiam decidit.*

Alii *Voluntarium* vocant, *quod a parte parti defertur in judicio vel extra judicium*: *Neceſſarium quod refertur*: *Judiciale quod a judice defertur.*

In iſta Græcorum & Latinorum varia explicatione triplicis jurisjurandi probarem magis, *Voluntarium* eſſe, *quod defertur extra judicium per modum conventionis l.* 17. *ff. h.* & *transactionis l.* 2. *ff. eod.* quia nemo Jusjurandum extra judicium ſibi delatum ſuſcipere, aut referre cogitur: *Neceſſarium*, *quod a parte parti defertur in judicio*, *vel partibus petentibus*, *a judice*, *vel quod refertur*; quia is, cui delatum eſt, jurare cogitur vel referre *l.* 34. *§.* 6. *h. l.* 9. *C. d. reb. cred.* & *jurej.* nec minus eſt neceſſarium id quod defertur, quia referri poteſt, nam ipſa referendi neceſſitas facit neceſſarium *l.* 38. *eod.* maxime vero neceſſarium eſt quod refertur, quia is cui refertur præciſe jurare cogitur, vel cauſa cadere *d. l.* 34. *§.* 6. *Judiciale* vero eſſe ſtatuo, *quod a judice defertur in cauſis dubiis*; quid enim magis *Judiciale* dici poteſt, quam quod ipſe judex defert, & quidem in judicio *l.* 31. *ff. h. l.* 3. *C. d. reb. cred. Fabrot. enarr. Par. Cujacii ad tit. C. d. R. Cred.* de quibus ſuis locis plenius videbimus.

Ut

Ut vero primo de jurejurando Voluntario accuratius tractemus, exponemus primo, quinam id poſſint deferre, ſecundo, quibus; tertio, in quibus cauſis; quarto, quo tempore, modo, & forma; quinto, quis ſit effectus delati hujus Jurisjurandi, & denique quis ſit præſtiti hujus Jurisjurandi effectus.

CAP. III.

Ut igitur primo videamus, quinam poſſint deferre Jusjurandum Voluntarium, illud expeditum eſt, requiri, ut is qui hoc deferre vult, non tantum intelligat, quid agat; ſed competat etiam ipſi diſpoſitio de illa re, ſuper qua jurandum erit *fac. l.* 35. §. 1. *ff. d. jurej.* Adeoque qui vel intellectu deſtituuntur, vel etiam facultate illa diſponendi, procul dubio facultatem deferendi hujus Jurisjurandi non habebunt.

Unde vix opus monere, naturaliter prohiberi furioſos atque infantes, qui nullum negotium gerere, nec quicquam velle poſſunt *l.* 5. *l.* 40. *ff. d. R. J.* §. 8. & 9. *Inſt. d. inut. ſtip.*

Furioſis æquiparantur prodigi, quippe, qui, quod ad bona attinet, furioſum faciunt exitum *l.* 12. §. 1. *ff. d. tut. & cur. dat.* quique, etſi naturaliter intellectu non deſtituantur, & poſſint etiam acquirere *l.* 6. *ff. d. V. O. l.* 5. §. 1. *ff. d. adq. vel om. hered.* quoties tamen de iis obligandis agitur, eorum nulla voluntas eſſe intelligitur *d l.* 40. *ff. d. R. J.* atque adeo Jusjurandum deferre nequeunt *l.* 35. §. 1. *ff. d. jurej.*

Conſequens eſt, ut agamus de pupillis, & hi quidem tutorum auctoritate muniti omnia gerere, & proinde etiam Jusjurandum deferre poſſunt: ea vero deſtituti, ſi detulerint, illa delatio parvi erit effectus, etſi ex ea juratum fuerit, cum actio vel exceptio, quam jurans proponere poſſet ſummo jure, exceptione vel replicatione elidatur, quia rerum adminiſtrandarum jus his non eſt *d. l.* 17. §. 1. *ubi A. Fab. in Ration.*

Idem

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 178

Idem juris obtinet circa minores ſub curatoribus conſti-tutos, qui ſine eorum conſenſu ſeſe obligare nequeunt *l.* 3. *C. d. in int. reſt. min.* atque adeo nec efficaciter Jusjurandum deferre *l.* 35. §. 1. *ff. h.* Si vero ſine curatore ſint conſtituti, quales extra controverſiam recte ſe obligant, *d. l.* 3. etiam ſatis valide Jusjurandum deferunt. Nec his etiam illa exceptio vel replicatio, quod, ſcilicet, minores fuerint, ſemper dabitur; ſed potius erit, ut adeatur prætor, & reſtitutio petatur, cognoſcaturque a prætore, an minor circumſcriptus ſit, & juſta ſit reſtitutionis cauſa; nec enim ſtatim, quia minor eſt, etiam circumſcriptus eſt, ut docet Ulpianus *l.* 9. §. 4. *ff. h. t.*

Filiifamilias & ſervi, quibus rei peculiaris adminiſtratio eſt conceſſa, recte deferunt Jusjurandum, his enim ſolvi recte poteſt, & novandæ obligationis jus habent *l.* 20. *l.* 21. *h. l.* 48. §. 1. *d. pecul. l. ult. ff. d. novat.* quo tamen caſu, ſcilicet, ſi ratione rei peculiaris id detulerint, juranti dari ſibi oportere, datur actio de peculio in dominum, vel patrem, ut pro modo peculii præſtet actori, quod ſervo vel filio deferente, ſibi dari oportere juravit, vel exceptio, ſi jurarit, ſe non debere *l.* 22. *ff. h.* Servus autem, cui non eſt rei peculiaris adminiſtratio conceſſa, non rectè id defert, is, quippe, etſi interdum ei ſolvi poſſit, novandi tamen jus non habet *l.* 25. *ff. d. novat. l.* 27. *pr. v. ſic enim ff. d. pact.* & de tali intelligenda eſt *lex.* 5. §. 2. *ff. d. pecul.*

Facilius ex Jurisjurandi delatione obligatur filiusfamilias, qui ex omni cauſa obligari poteſt tanquam paterfamilias, cum eoque tanquam cum patrefamilias agi poteſt *l.* 39. *ff. d. O. & A. l.* 57. *ff. d. judic.* is igitur indiſtincte ex delato jurejurando tenetur, & ex ejus delatione acquiritur ei, qui juravit, jus conveniendi vel ipſum directo, vel patremfamilias de peculio quaſi ex contractu *l.* 5. §. 2. *ff. d. pecul. Cujac. lib.* 8. *obſ. c.* XI.

Etiam

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 178

Etiam qui negotia aliena gerunt, dominorumve loco ſunt, quatenus alienare poſſunt, eatenus jus deferendi habent *l.* 17. §. 2. *&* 3. *l.* 20. *l.* 35. *in pr. &* §. 1. *ff. h.* modo juſta adſit ratio, difficultas forte vel inopia probationum, metus magnarum expenſarum, & ne diu trahatur judicium, intereaque longo litis ſufflamine res familiaris atteratur; maxime ſi res ipſa non admodum magna ſit, ne forte alias & rem ipſam amittant, & inſuper impenſis onerentur, vel etiam interdum poſt multum operæ ſumptuumque, victoriam reportent quidem, ſed quę quandoque nimis magno conſtaret, nec multum a Cadmea differret.

Inter hos autem qui aliena negotia adminiſtrant primo loco merito veniunt tutores & curatores, qui quod ad providentiam rebus pupillorum, minorum & ſimilium exhibendam dominorum loco habentur *l.* 27. *ff. d. adm. & per. tut. l.* 57. §. *ult. ff. d. furt. l.* 157. *ff. d. R. J.* hi igitur deferre quidem jusjurandum hoc poſſunt; ſed non ſimpliciter, verum tunc demum, quando circumſtantiæ rei id ipſum ſuadent, & exigere videntur, V. C. deficientibus aliis probationibus. *l.* 35. *pr. ff. h.* & ita demum procedunt illa verba Pauli *l.* 17. §. 2. *ff. d. t. Si tutor qui tutelam, aut curator furioſi prodigive jusjurandum detulerit, ratum id haberi debet, nam & alienare res, & ſolvi eis poteſt, & agendo rem in judicium deducunt.*

Poſt tutores curatoresque videamus de procuratoribus, qui negotia aliena voluntate & mandato dominorum adminiſtrant *l.* 1. *ff. d. procur.* atque adeo dominorum loco ſunt *l.* 35. §. 3. *l.* 51. §. 1. *ff. eod.* Ciceroni *pro Cæcina Cap.* 20. procurator dicitur *quaſi quidam pene dominus, hoc eſt alieni juris vicarius.*

Circa procuratores autem in hac quæſtione non idem ſemper, ſed pro diverſitate procuratorum diverſum jus eſt: & quidem de procuratore in rem ſuam vix monere neceſſe eſt, illi hanc facultatem competere *l.* 17. §. *ult. ff. d. jurej.* is enim non tantum eſt loco domini, ſed etiam ipſi domino,

ſive cedenti, ſi is quoque actionem movere velit, præfertur *l. 55. ff. d. procur.* Etiam clarum eſt, hanc facultatem illi dari, qui ſpeciale ad hoc habet mandatum *d. l. 17. §. ult.*

Procurator etiam univerſorum bonorum recte Jusjurandum hoc defert *d. l.* nec additur diſtinctio, utrum cum libera, an ſine libera datus ſit; quæ vulgaris alioquin eſt diſtinctio Procuratoris univerſalis, ſed quæ ex Jure Romano non poteſt probari *v. Vinn. Sel. quæſt. lib. 1. cap. 9.*

Uti tamen huic procuratori non pro lubitu alienare res domini conceditur, ſed ita demum, ſi id ſuadeat adminiſtrationis ratio *l. 63. ff. d. procur.* ita etiam non ſimpliciter ipſi facultas jurisjurandi hujus deferendi concedenda videtur; ſed ſub iis conditionibus, ſub quibus tutores curatoresque id deferre poſſe diximus; nec enim vel illis, vel huic poteſtas debet competere eos, quos quorumque negotia tueri debent, ſpoliare; quale quid ſi velint facere, dominorum loco non erunt *l. 7. §. 3. ff. pro empt.*

Illud per ſe perſpicuum eſt, procuratorem ſpecialem, cui nihil ejusmodi mandatum eſt, jurisjurandi hujus deferendi poteſtatem non habere, mandati enim fines ſtricte ſunt cuſtodiendi, & qui illos excedit, dominum non obligat *l. 5. pr. ff. mand.*

Igitur ſi dominus mandaverit procuratori, ut petat, ipſe vero detulerit Jusjurandum, dicit JCtus *l. 19. ff. h.* quod aliud fecerit, quam quod mandatum eſt, & ſic exceſſerit fines mandati, quare juranti non proderit Jusjurandum, & nec actio inde, nec exceptio dabitur.

CAP. IV.

Vidimus quinam deferre poſſint Jusjurandum Voluntarium, conſequens eſt, ut agamus de iis, quibus illud deferri poteſt: & ſane, cum is, cui id defertur, nihil peri-

periclitetur circa rem familiarem, quam ſolam conſiderat jus civile, (etſi alioquin pejerans & in foro ſoli graviter, & in foro poli graviſſimis ſe obſtringat ſuppliciis) & eo præſtito cauſam obtineat, idque ex voluntate deferentis, cui proinde nulla ſit injuria *l. 145. ff. d. R. I.* generaliter cautum eſt, ut hac in parte non diſtinguatur inter perſonas, quibus id delatum eſt, ut docet Paulus JCtus *l. 26. ff. h.* cujus verba hæc ſunt. *Qui juraſſe dicitur, nihil refert, cujus ſexus ætatisve ſit, omni enim modo cuſtodiri debet jusjurandum adverſus eum, qui contentus eo, cum deferret, fuit: quamvis pupillus non videatur pejerare, quia ſciens fallere non videatur.*

Ex lege ergo hac patet, nihil intereſſe, an mares, an feminæ ſint, quibus defertur, non enim diſtinguitur inter ſexum, neque annorum certus numerus præſcribitur, ſed dicitur nihil referre, *cujus ſit ætatis.*

Ergo minoribus defertur, etiam non adhibito curatorum conſenſu, minor enim pro ſe jurans virtute Jurisjurandi cauſam vincit, ſuamque conditionem meliorem facit, quod ipſi nullo modo eſt invidendum, idem & de prodigis dicendum *fac. l. 6. ff. d. V. O.*

Etiam pupillis ſine autoritate tutoris defertur, & ab iiſdem ſuſcipitur, eo effectu, ut præſtito Jurejurando cauſam obtineant: deferens enim ſibi id imputare debet, quod talibus detulerit, & cauſam eorum juramento permiſerit, volenti autem non ſit injuria *l. 9. §. 1. ff d. aqua & aquæ pluv. arcend.* deferenti etiam ſemel placuit, ut juraretur, quare poſtea Jusjurandum illud impugnare non poterit ea ratione, quod perſona non ſit habilis *add. l. 75. ff. d. R. I. cap. quod ſemel d. R. I. in 6.* Nec obſtat quod pupillus non poſſit pejerare *d. l. 26.* atque adeo videri poſſet nec poſſe jurare. iis enim verbis non indicatur, pupillum non poſſe pejerare materialiter, ſed non poſſe formaliter, id eſt, animo pejerandi, quia per ætatem nihil ſcire putatur, quare etiam pejerare non poteſt, cum is de-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 178

demum perjurii reus ſit, qui ſciens fallit *d. l.* Illud etiam apertum eſt, pupillum, qui pubertati eſt proximus, capacem eſſe doli *l.* 111. *pr. ff. d. R. I. l.* 23. *ff. d. furt.* atque adeo poſſe etiam ſcientem fallere & pejerare.

Filiofamilias & ſervo in cauſa peculiari recte defertur, ad hunc finem, ut jurisjurandi religio proſit patri vel domino *l.* 20. *ff. h.* imo etiam generaliter, ſi filiusfamilias juraverit, patrem, vel ſervus, dominum dare non oportere, ipſis exceptio indulgetur *l.* 23. *l.* 24. *ff. eod. l. ult. ff. d. except. l.* 2. *ff. quar. rer. act. non det.* idque non eſt mirum, cum hi inter ſe pro eadem perſona in cauſis propriis habeantur *§.* 4. *J. d. inut. ſtip.*

Vice verſa ſi pater juraverit, filium dare non oportere, & patri & filio acquiritur exceptio *l.* 26. §. 1. *ff. d. jurej.* eſt enim eadem ratio conveniendi patris, quæ filii, nempe, obligatio filii, quæ ſi non eſſet, de peculio pater conveniri non poſſet *l.* 44. *ff. d. pecul.* Alias quidem conſtat, alii per alium non acquiri obligationem *l.* 1. *C. per quas perſ.* atque adeo patrem non poſſe acquirere aliquid juris filio, etſi filius poſſit acquirere patri. Verum hic non tam acquiritur exceptio illa per liberam perſonam, quam tantum aliquid ex ordine juris fit, cum non poſſit exceptio hæc patri dari, niſi & detur filio, cujus eadem eſt obligatio, quæ patris. Ut vero filio indulgeatur exceptio, oportet patrem juraſſe de obligatione filii, non, ſe nihil debere *d. l.* 26. *§.* 1. quia contingere poteſt, ut nihil ſit in peculio, quo caſu filius quidem tenebitur, ſed pater non. *fac. d. l.* 26. §. 1.

CAP. V.

Sequitur ut ſecundum ordinem, quem nobis propoſuimus, jam diſpiciamus, in quibus cauſis deferri poſſit Jusjurandum Voluntarium.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 178

Et quidem id procedit in omnibus, quæ ad patrimonium noſtrum pertinent, quæque pendent ab arbitrio privatorum, & in poteſtate partium ſunt, nempe, in civilibus, in quibus agitur ad commodum pecuniarium, & ſuper quibus paciſci licet *l.* 7. §. 16. *ff. d. pact.*

Illud nihil refert, an de pecunia juretur, an de alia re, V. C. operis *l.* 34. *pr. h.* an ſit actio in rem, an in perſonam, an in factum, an pœnalis, an interdictum *l.* 3. §. 1. *ff. h.* quin & de conditione perſonæ, e. gr. an in poteſtate ſit *d. l.* 3. §. 2. an mulier ſit prægnans *d. l.* §. 3. *l.* 10. *ff. d. Carb. edict.* idem juris circa quæſtionem generis & ingenuitatis *l.* 6. *C. d. R. C. & jurej.* nec aliud circa cauſas matrimoniales de jure civili diſerte cautum reperitur, etſi interpretes & praxis hac in re diſtinguant.

Non poteſt autem deferri hoc jusjurandum in cauſis criminalibus. In *l.* 3. §. 1. *ff. h.* & paſſim mentio fit actionis, quo verbo proprie ſumpto non continentur accuſationes criminum, ut & hic eas non contineri patet, non tantum ex eo, quod in criminalibus accuſator liquidiſſime probare debeat quod intendit, & afferre probationes luce meridiana clariores, nemoque ex crimine ad pœnam aliquam condemnandus ſit, niſi vel confeſſus ſit delictum, vel probationibus clariſſimis convictus *l.* 16. *C. d. pœn.* ſed vel ideo potiſſimum, quod cauſæ criminales privati non ſint arbitrii, adeoque de iis nec paciſci, ac proinde nec jusjurandum deferre liceat *arg. l.* 7. §. 14. 16. *l.* 27. §. 4. *ff. d. pact.*

Quod populares actiones attinet, non videtur Jusjurandum hoc Voluntarium in illis recte adhiberi, quoniam illæ in bonis non ſunt *l.* 7. §. 1. *ff. d. pop. act.* nec privati arbitrii, unde & popularis actio publica dicitur *l.* 30. §. 3. *ff. h. t.* & is, qui ea poteſt agere, non dicitur creditor, niſi poſt litem conteſtatam *l.* 12. *ff. d. V. S.* adeoque nec tranſi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 178

gendo, nec jusjurandum hoc deferendo aliis poſtea agere volentibus aliquis præjudicare poteſt. Si tamen lis jam ſit conteſtata, effectum habere poterit jusjurandum, & exceptio inde nata etiam aliis obſtatura eſt, modo bona fide actum fuerit *d. l.* 30. §. 3. *ff. h.*

CAP. VI.

Quod ad tempus, locum, modum & formam attinet, præcipue quidem illud defertur ante litem conteſtatam, & extra judicium, nihil tamen impedit, quominus idem fiat etiam poſt litem conteſtatam, nec etiam jura diſtinguunt. Defertur autem per modum conventionis *l.* 17. *ff. h.* ſive tranſactionis *l.* 2. *ff. eod.* & libera voluntate ſuſcipitur, & proinde ſequitur, neminem poſſe cogi, ut hoc vel deferat, aut præſtet, vel referat, vel relatum ſuſcipiat, cum illa, quæ ex mera conventione proficiſcuntur, liberum requirant conſenſum.

Obſervandum vero illud, ut juxta formam, qua delatum eſt, illud præſtetur, nam ſi quis detulerit jusjurandum, ut *per Deum* juretur, alter vero juret *per caput ſuum, vel filiorum ſuorum*, tale jusjurandum præſtitum non valet *l.* 3. §. 4. *& ſeqq. ff. h.* alias ſi forma ſervata ſit, prætor id tuebitur *l.* 5. *ff. h.* modo nihil contineat illiciti *d. l.* 5. *pr. ff. h.* qua in parte gentilium ſuperſtitio plurimas jurisjurandi formulas admittebat; quæ Chriſtianæ religionis veritati & ſinceritati parum congruunt, quale eſt illud, quod modo habuimus, nec non illud *per ſalutem ſuam d. l.* 5. *l.* 33. *ff. h.* Sed & generaliter conſtituit Divus Pius, ſtandum jurijurando, quod propria ſuperſtitione juratum eſt *d. l.* 5. §. 1. Ubi autem ſimpliciter & ſine ſolennitate delatum eſt, ſimpliciter quoque jurari ſufficit.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 178

In dubio videtur juxta delationis formulam præſtitum; cum ſolennitas debita in dubio adfuiſſe præſumatur *arg. l. 30. ff. d. V. O. Anton. Fab. in Cod. h. t. def. 16. & 25. n. 3.*

Si tamen contra formam delationis juratum ſit, & adverſarius nihil objiciat, nec de eo conqueratur, jusjurandum ratum erit, quia eo caſu illa ſolennitas tacite remiſſa videtur *idem Fab. d. l. def. 25. n. 7. & def. 34.*

CAP. VII.

Effectus Jurisjurandi Voluntarii delati eſt, ut is, cui delatum eſt, ſi velit id ſibi prodeſſe, ſtatim jurare debeat *l. 5. §. fin. ff. d. jurej.* jurijurando enim huic hæc conditio ineſt, ut in continenti juretur, qua de re ita loquitur Ulpianus *d. l. Si neque juratum eſt, neque remiſſum jusjurandum, pro eo debet haberi, atque ſi res in jusjurandum admiſſa non eſſet. Proinde ſi poſtea jurare paratus ſit, nihil ei hoc jusjurandum proficiet: quia ex eo quod delatum eſt, juratum non eſt.* Hoc ita, niſi id agatur, ut non præciſe ſtatim, ſed etiam poſtea juretur.

Secundus delati jurisjurandi effectus eſt, quod non poſſit referri. *l. 17. ff. h.* referri dicitur cum is, cui delatum eſt jusjurandum, deferenti eandem conditionem iterum defert, contenditque, ut ipſe juret. Igitur hoc jusjurandum non refertur, id eſt, is, cui id delatum eſt, non poteſt cogere deferentem, ut ipſe juret: atque ita accipimus quod dicitur, illud jusjurandum non referri, eodem modo, ut dicitur non deferri, quando is, cui id delatum eſt, non cogitur id ſuſcipere *l. 34. §. 2. ff. h. t.*

Ergo qui id ſuſcepit, ſi cauſam obtinere velit, debet jurare: & merito, quoniam deferens ſatis ſe liberalem præbet committendo cauſam jurijurando ipſius, & cum conſtituendo quaſi judicem in propria cauſa; & referendo conventio frangeretur, fuit enim in arbitrio ipſius, an ſuſ-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 178

cipere vellet, necne; & ſi is, cui id delatum eſt, vice verſa adhuc referre poſſet, nullus foret unquam hac in re finis, cum tamen jusjurandum dicatur facillimum & maximum remedium litium finiendarum *l.* 1. *ff. h.*

Poteſt tamen remitti ab eo qui detulit, is autem remittit, *qui deferente ſe, cum paratus eſſet adverſarius jurare, gratiam ei facit, contentus voluntate ſuſcepti jurisjurandi l.* 6. *ff. h.* eodem modo dicitur remitti conditio & cautio legatario, quando ab implemento conditionis, & præſtatione cautionis liberatur atque exoneratur *l.* 20. *l.* 72. §. 1. *& l.* 77. §. *ult. ff. d. cond. & dem.* de qua voce videatur Briſſonius *d. verb. ſign. lib.* 16.

Et remiſſio illa non ſolum præſenti, ſed & abſenti, & ignoranti, per epiſtolam vel nuncium fieri poteſt *l.* 41. *ff. d. jurej.* cum jusjurandum hoc caſu habeatur pro præſtito.

Oportet autem, ut ſit ſuſceptum, cum remittetur, nam ſi non ſit ſuſceptum a reo, iſque poſtea mutato conſilio velit jurare, actor vero nolit deferre, non videbitur remiſſum, neque enim remiſſum dici poteſt, quod ſuſceptum non eſt *d. l.* 6. Reo vero parato jurare ſimul ac delatum eſt, ſi remittatur, acquiritur exceptio, ſi actori; actio a Prætore datur *l.* 9. §. 1. *ff. h.* eodem modo ac ſit, quando juratum eſt, par enim vis eſt præſtiti & remiſſi jurisjurandi; de qua actione & exceptione infra videbimus.

CAP. VIII.

Poſtquam egimus de effectu Jurisjurandi Voluntarii delati, conſequens eſt, ut nunc agamus de vi & effectu hujus jurisjurandi præſtiti, & quidem primo habet ſimilitudinem quandam tranſactionis *l.* 2. *ff. d. jurej.* uti enim tranſi-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 178

tranſigendo a lite diſceditur, ita & jurejurando; quo præſtito non aliud quæritur, quam, an juratum ſit; non vero, an debeatur; atque id, ſuper quo eſt juratum, præſtandum eſt. hinc dicitur cedere loco ſolutionis *l.27.l.35.* §. 1. *ff. h.* & acceptilationi eſſe ſimile *l.40.ff. eod.*, ſi, ſcilicet, is, qui deferenti aliquid debebat, juraverit, ſe non debere, vel ſe ſolviſſe; alioquin ſi reus id detulerit actori, ut, ſi juraret actor ſibi deberi, reus ſolveret, is actionem præſtito eo vel remiſſo acquiret ad debitum petendum.

Dicitur etiam eſſe pro judicio *l. 35. §. 1. ff. h.* & inſtar judicii habere *l.26. §. ult. ff. h.* quaſi, ſcilicet, & hic foret quiddam inſtar novationis illius neceſſariæ, quæ litis conteſtatione dicitur contrahi; unde & actiones tempore perituræ poſt jusjurandum præſtitum perpetuantur *l. 9. §. 3. ff. h.*

Imo ulterius etiam vicem rei judicatæ obtinet jusjurandum *l. 1. ff. quar. rer. act. non det.* non immerito, cum ipſe quis judicem adverſarium ſuum de cauſa ſua fecerit, deferendo ei jusjurandum *d. l. 1.*

Inſuper etiam majorem dicitur habere auctoritatem quam res judicata *l. 2. ff. d. jurej.* quoniam a re per ſententiam deciſa appellari poteſt; a jurejurando vero inter partes delato & præſtito non item; huic enim negotio ſubeſt tranſactio quædam & conventio, quas infirmari per appellationem non oportet; iniquum namque eſt, ut quis veniat ad appellationis auxilium in his, quæ ipſe facienda procuravit *l. 12. §. 1. C. d. R. C. & jurej.* nec etiam hic ſunt termini appellandi habiles, cum pars nulla per judicem læſa ſit, ut ad ſuperiorem poſſet provocare. Igitur deferens ſuæ facilitati imputet, quod tali lege jusjurandum detulerit, ut jurante adverſario a lite diſcederet, vel amplius non petendo, vel petitum exſolvendo.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 178

Prætérea etiam ne ob nova quidem inſtrumenta poſtea
reperta, ex quibus patet de rei veritate, retractari poteſt. ſi
tamen ſint ſuppreſſa dolo malo adverſarii, non vult æquitas
jusjurandum hoc caſu effectum habere irrevocabilem,
adeoque læſo hoc caſu ſuccurrendum videtur *arg. l. 19. C. d.
tranſact. junct. l. 2. ff. h.*

Imo ne quidem prætextu perjurii retractari aut reſcindi
poteſt, cum quoad retractationem de perjurio non quæra-
tur *l. 15. ff. d. except. §. 4. Inſt. eod.* ſed tantum quæratur, an juratum
ſit, quaſi tunc jurejurando ſatis probatum ſit *l. 21. ff. d. dol. mal.*
Alia tamen eſt quæſtio, an perjurium illud ſit impunitum.
Et perjurii pœnam hoc caſu locum habere conſtat ex Paulo
l. 22. ff. d. t. quæ quidem ordinaria non eſt, non enim leges in
omnia peccata certas conſtituere pœnas, ſed multa ſunt, in
quæ extra ordinem eſt animadvertendum; & ſic etiam perju-
rii pœnam putamus eſſe extraordinariam, atque pro diver-
ſitate circumſtantiarum nunc graviorem, nunc leviorem
eſſe; modo enim videmus, perjuros fuſtibus cædi *l. 13. §. ult. ff. d.
jurej.* modo infamia notari *l. 41. C. d. tranſact.* modo amiſſione
dignitatum *l. pen. C. d. dignit.* modo etiam privato judicio extra
ordinem criminaliter conveniri *l. 22. ff. d. dol. mal. l. 13. C. d. teſtib.*

Non autem hic quærimus, quænam tempore liberæ
Reip. Romanæ pœna fuerit perjuris propoſita, ſed qualis
fuerit pœna tempore Imperatorum & Juriſconſultorum
ejuſdem ævi, illamque dicimus fuiſſe extraordinariam.

Alexander tamen Imperator *in l. 2. C. d. reb. cred.* reſcri-
bit, jurisjurandi contemptam religionem ſatis Deum ul-
torem habere: periculum autem corporis, vel majeſtatis cri-
men, etſi per principis venerationem quodam calore fue-
rit pejeratum, non inferri. Quod idem Imperator etiam
tradit *in l. 2. C. ad leg. Jul. maj.* dicens, majeſtatis crimen non ſu-
ſtinere eum, qui ſervo ſuo iratus eſſe non perſeveret,
quod ſemper ſe facturum inconſulto juraverat. Sed

dicendum videtur, illas Alexandri conſtitutiones eſſe accipiendas de perjurio per calorem admiſſo, & quidem tali, quo tertii jus læſum non eſt, & illi non imponi pœnam: ad quod etſi jus civile connivet, Deus tamen Opt. Max. impunitum id non relinquit, cum offendatur per eos omnes, qui nomen ejus parum reverenter uſurpaverint.

Quod tamen diximus, prætextu perjurii jusjurandum non retractari, limitationem hanc recipere videtur, ut hoc poſſit fieri, ſi ſpecialiter inter partes convenerit, ut, ſi forte liqueret, commiſſum eſſe perjurium, cauſa jurejurando deciſa retractaretur; nihil enim videtur obſtare, quo minus ejuſmodi conventiones, quæ ſane nihil continent illiciti, ſed id agunt, ne quis perjurio locupletetur, effectum ſortiantur juxta *l.* 23. *ff. d. R. J.* Fruſtra ad hoc oſtendendum adducunt quidam *l.* 1. *C. h.* in illis verbis, *niſi ſpecialiter hoc lege excipiatur.* Sed illa non agunt de conventione, quæ interdum dicitur *lex*; ſed de lege proprie dicta, vel ſimili juris ſpecie, & quidem præcipue videntur reſpicere ad id, quod conſtituitur *l. ult. C. eod.* cujus intuitu Tribonianus illa verba dictæ legi 1. adjeciſſe videtur.

In illa autem *lege ult.* aliquis petit legatum vel fideicommiſſum ex teſtamento forte tunc non apparente: heres defert jusjurandum petenti legatum, petens jurat, ſibi relictum eſſe legatum; præſtito hoc jurejurando heres præſtat legatum; poſtea prolato teſtamento apparet, petentem pejeraſſe, & ipſi legatum non eſſe relictum. Quæſitum fuit inter veteres, an ſtandum eſſet huic jurijurando, an vero repeti poſſet legatum, & primus Juſtinianus conſtituit, ut jusjurandum retractaretur, & nullum ex hoc perjurio pejeranti lucrum accederet *d. l. ult.* In quo proinde jusjurandum poſt illam conſtitutionem

differt a tranſactione ſuper controverſiis ex ultimis voluntatibus ortis inita non inſpectis illarum verbis, quæ revera jure civili eſt valida, & non retractatur ob id ſolum, quod non ſint inſpectæ teſtamenti tabulæ, ut validiſſimis argumentis demonſtravit Vir Clar. Ant. Schultingius in diſputatione a me ſub præſidio ejus nuper publice defenſa.

CAP. IX.

Nec tantum maximus eſt Jurisjurandi Voluntarii effectus in eo, quod irretractabile ſit; verum etiam Prætor ei qui juravit, aut cui jurare parato remiſſum eſt jusjurandum, tanquam eo præſtito, actionem aut exceptionem dat, in quibus nihil quæritur aliud, quam, an juratum ſit *l. 9. §. 1. ff. h. t.* & quidem primo de actione ex jurejurando dicemus.

Igitur ei, qui ex conditione delata juravit ſibi deberi, Prætor dat actionem *l. 9. §. 1. l. 28. §. ult. ff. h.* ſed quænam illa ſit, controvertunt interpretes, num ſit actio vetus, ut v. gr. ſi juratum ſit ex cauſa emptionis venditionis, competat actio ex empto vendito; an vero nova, ſive quæ detur ex jurejurando ſolo in factum. Diſtinguunt quidam, an formiter, hoc eſt, ex certa tali cauſa juratum ſit, ut tunc competat actio ex ea cauſa, de qua juratum eſt, utilis; an vero non ſit juratum ex certa aliqua cauſa, & ut tunc detur actio ex jurejurando in factum *per l. 8. C. h.* quod aliam cauſam non proponat actor, quam ipſum factum delati & præſtiti jurisjurandi. Verum hæc diſtinctio nullo modo probanda videtur, quoniam ex ratione juris noſtri nulla actio informis, ſive cui non ſubſit titulus vel cauſa aliqua, ex qua petatur, & cujus occaſione ad jusjurandum deveniatur, dari poteſt.

Alio-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 178

Aliorum mens eſt, actionem veterem plane per hanc in factum tolli. Sed nec illa ſententia admitti poteſt; & tantum abeſt, ut contra vetus actio tollatur hoc Jurejurando, ut, re bene inſpecta, priſtina actio revera augeatur nova qualitate, quod jam ex ea agi poſſit commodiſſima via, & ita, ut non ſit amplius probationibus opus, & res pro pleniſſime probata habeatur *l.* 5. §. 2. *ff. h.* Nec quod plerumque nomen actionis priſtinæ omittatur, & dicatur agi ex Jurejurando, quicquam huc facit; nec inde meliori jure concludi poteſt, priſtinam actionem non dari, quam ſi quis negaret, agi ex empto vendito, mutuo ſimilive contractu, quia ex contractu ejuſmodi cum filiofamilias vel ſervo inito de peculio vel de in rem verſo, vel quod juſſu contra patrem vel dominum agitur.

Et veterem actionem manere, ſed hac nova qualitate augeri, quatenus hic tantum quæritur, an juratum ſit, docet clariſſime Paulus *l.* 30. *ff. h.* ut & Ulpianus *l.* 7. §. 7. *ff. d. Publ. in rem. act.* ubi talis facti ſpecies proponitur. Primus poſſidet fundum, quem a Primo petit Secundus actione in rem Publiciana. convenit inter Primum & Secundum, ut Secundus juraret, fundum ſuum eſſe: ille jurat: poſt præſtitum jusjurandum dicitur hac in lege, actorem poſſe fundum perſequi Publiciana in rem actione, evidenti indicio, actionem veterem non tolli, ſed potius, ſi actione in factum agatur, veterem confirmari, & nova hac qualitate imbui. Quod præterea etiam adſtruit *l.* 13. §. 3. *ff. h.* in qua illi, qui juravit, aliquem ſibi vendidiſſe rem, datur actio ex empto.

Poteſt ergo hoc caſu adhuc actione ſimplici priſtina agi; quod tamen plerumque conſultum non erit, quia in actione in factum ſufficit probari, juratum eſſe

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 178

l. 9. §. 1. ff. h. cum in priſtina forte probandum eſſet dominium, vel jus aliquod in re vel in perſonam, cujus probatio ſæpe difficilis eſt.

Quandoque tamen vetus actio pinguior eſt, adeoque eo caſu præferenda actioni in factum, ut in ſpecie *l. 30. ff. h.* ubi actio principalis competit in duplum contra inficiantem, ut legis Aquiliæ actio, cum illa in factum tantum detur in ſimplum; actor enim, qui hoc caſu non probavit adverſus inficiantem, ſed eo deferente juravit, ſimplum tantum conſequitur. Is ergo, ſi videat, poſtquam juravit, ſibi probationum affatim ſuppetere, poterit adhuc convolare ad priſtinam actionem, & per illam efficere, ut inficians in duplum condemnetur.

Qui ſtatuunt, hic fieri novationem, & actionem veterem per hanc actionem in factum tolli, potiſſimum utuntur argumento *l. 26. §. 2. ff. h.* in qua ita ſcriptum eſt. *Jurisjurandi conditio ex numero eſſe poteſt videri novandi delegandive, quia proficiſcitur ex conventione, quamvis habeat & inſtar judicii.* Ex quibus prioribus verbis colligunt, induci novationem. Verum nihil minus ibi dicit Juriſconſultus Paulus: ſed illis verbis, *eſſe poteſt videri*, ſatis innuit, non eſſe veram novationem; non enim aliter tam aperte oſtendiſſet, id per ſe non ita eſſe, ſed aliquo tantum reſpectu, & quadam ratione: ſed dixiſſet ſimpliciter, *Jurisjurandi conditio ex numero eſt novandi.* Sed jam oſtendit, hæc tantum inter ſe convenire, ſcilicet, quatenus & hic nova exoritur actio ex Jurejurando, etſi priſtina adhuc maneat, quod non fit in vera novatione. Præterea ſi jurem, te mihi debere V. C. ex ſtipulatu, quod debes mihi ex teſtamento; ſi jurem, te debere mihi, quod mihi debet Titius, vel debere te mihi, quod debes Titio, an hic non erunt ſimilitudines novatio-

vatio-

vationis & delegationis? Unde tamen minime ſequitur, veram & propriam novationem vel delegationem per jusjurandum induci. Et ſi vera vis novandi ineſſet jurijurando; ut volunt diſſentientes, quomodo accidere poſſet, ut ei, qui ſe non debere juravit, detur exceptio; quam tamen dari poſtea videbimus? cum ſciamus novationem ita tollere veterem obligationem, ut plane exceptioni locus non ſit. §. 3. *Inſt. quib. mod. toll. oblig.*

Datur ergo actio in factum ad ſimilitudinem judicati, cui ſimilis eſt ratione & firmitatis, & ratione commodi, quod ex ſententia naſcitur; ſicut enim poſt rem plene judicatam nihil aliud quæritur, quam an judicatum ſit *l.* 56. *ff. d. re jud.* ita jurejurando præſtito vel remiſſo, tantum quæritur, an juratum aut jusjurandum remiſſum ſit *l.* 9. §. 1 *ff. d. jurej.*

Locum autem habet hæc actio tam cum actio, de qua juratum eſt, eſt in rem, quam cum eſt in perſonam *l.* 9. §. *fin. l.* 11. § 1. *& ult. l.* 12. *ff. eod.* Non tamen induit naturam actionis in rem, etſi fuerit actio in rem cui acceſſit, operabiturque tantum ratione perſonarum deferentium & jurantium *d. l.* 9. §. *fin. l.* 10 *& l.* 11 *ff. h.* atque adeo non contra quemvis poſſeſſorem, ſed ſolum deferentem datur, idque ob conventionem, ex qua oritur, & res inter alios actæ aliis non debent præjudicare *t. t. C. inter al. act. vel jud. al. non noc. l.* 9. §. *ult. l.* 10. *ff. h.* adeoque ſi deferente Titio juravero, fundum V. C. eſſe meum, eumque ego poſtea ab alio petam, actio jurisjurandi prodeſſe mihi non poterit.

Conceditur igitur hæc actio a Prætore ei, qui ex conditione delata juravit, ſibi quid deberi, vel qui juravit, rem ſuam eſſe, vel jus aliquod ſibi competere, vel cui jurare parato Jusjurandum remiſſum eſt. Dicit vero Prætor, *ex conditione delata*; ſi enim quis nemine deferente juraverit, non tuebitur id jusjurandum, cum talis ſibi juraſſe cenſeatur; alioqui facillimus quisque ad jusjuran-

dum

dum decurrens oneribus actionum ſe liberaret *l.* 3. *ff. h.* vel alios obligaret.

Datur adverſus eum, qui jusjurandum detulit ejuſque ſucceſſores *l.* 9. § *ult. l.* 10. *l.* 11. § 1. & *ult ff. h.* ut enim præſtatio jurisjurandi prodeſt ſucceſſoribus, ſic & delatio nocet: aliud circa tertios, ut modo diximus.

Ad præſtandum id, de quo juratum eſt *d. l.* 11. & *ſeq. ff. h. l.* 1. & *l.* 8. *C. eod.* eodem modo ac illud futurum eſſet, ſi actor per ſententiam cauſam obtinuiſſet. Veniunt etiam rei acceſſiones, ut fructus, fœtus, partus *d. l.* 11 §. 1.

Hæc actio eſt perpetua *l.* 9 §. 3. *ff. h.* etſi ex temporaria cauſa juratum ſit, eſt enim ſimilis judicati actioni, quæ eſt perpetua. Sic ſi in actione injuriarum, quæ durat annum, juratum ſit, hæc actio ex jurejurando anno non terminabitur, jusjurandum enim habet vim judicii & litis conteſtatæ *l.* 26. §. 2. *ff. h.* & lite conteſtata actiones perpetuantur. *l.* 139. *ff. d. R. J.*

CAP. X.

CONſequens eſt, ut videamus, quomodo reo qui juravit, ſuccurratur. & quidem Prætor ei dat exceptionem *l.* 9. § 1 *ff. h.* qua actorem poſtea petentem repellere poteſt, cujus rei eadem eſt cauſa, ac ea, ob quam datur actori qui juravit, actio; & hic enim actor reum quaſi judicem in propria cauſa conſtituit, qui proinde, ut actor habet remedium actionis quando juravit, ſic etiam remedio exceptionis ſe tueri poſſe debet.

Et quidem ut actio datur remiſſo jurejurando, ita etiam exceptio datur reo jurare parato *d. l.* 9. §. 1. Conceditur quoque ei, ad quem ea res, ſuper qua juratum eſt, pertinet *l.* 7. *ff. h.* nec diſtinguitur, qualis res fuerit, de qua

Jura-

juratum eſt, qualiſve actio, in rem, an in perſonam *l.* 3. §. 1. *& ſeqq. ff. h.* ſive de re tota, ſive de parte *l.* 7. *ff. h.*

Illud tamen ratio dictat, poſſeſſori rei, qui juravit, V. C. rem eſſe ſuam, vel ſibi obligatam, vel ſibi ſervire, adverſus ſolum eum, qui conditionem jurisjurandi detulit, jusjurandum prodeſſe poſſe, ſive excipiat, ſive agat; non etiam contra alios *l.* 11. *pr. & §§ ſeqq. ff. h.* ad ſimilitudinem ejus, quod de actore modo diximus. Imo qui juravit tantum, rem non eſſe actoris V. C. Titii, ſi ad Titium poſtea pervenerit res, ne quidem agere poteſt contra illum ex jurejurando, nec enim eo ipſo, quia juravit, Titii non eſſe, etiam juravit, ſuam eſſe *d. l.* 11. *pr.*

Cæterum exceptio jurisjurandi eſt in rem *l.* 7. §. 1. *ff. d. except.* nec prodeſt ſoli juranti, ſed etiam iis, qui in locum ejus ſuccedunt *l.* 7. *ff. d. jurej.* heredibus, bonorum poſſeſſoribus *l.* 70. §. 1. *ff. d V. S.* imo & ſucceſſoribus in rem ſingularem, de qua juratum eſt *l.* 8. *ff. h. t.* fidejuſſoribus etiam datur, ſi rei principales juraverint *l.* 28. §. 1. *ff. h.* etiam invito reo principali *l.* 19. *ff. d. except.* modo de re juratum ſit, non de perſona, ut ait JCtus *d. l.* 28. §. 1. id eſt, modo juraverint, ſeſe non debere quod petebatur; nam ſi defenſione propria uſi fuerint rei, non liberabuntur fidejuſſores, e. gr. lis orta eſt inter creditorem & pupillum de mutua pecunia: pupillus dederat fidejuſſorem: pupillus deinde creditore deferente jurat, ſe dare non oportere; creditor petit eandem pecuniam a fidejuſſore; hoc caſu etiam exceptio proderit fidejuſſori, quia Jusjurandum de re eſt conceptum, & convenit, ut jurante pupillo obligatio ſublata eſſet. At ſi pupillus juraverit, ſe quidem accepiſſe mutuam pecuniam, ſed ſine tutoris auctoritate, hoc caſu non liberabitur obligatione fidejuſſor, quoniam hic juratum eſt de perſona & auctoritate tutoris *l. ult. ff. h.*

Uti autem jusjurandum rei principalis prodeſt fidejuſſori, ita fidejuſſoris etiam reo principali, ſi quando juraverit, reum principalem non debere, ideoque nec ſe teneri; nam jusjurandum hoc vim habet non illam tantum quam pactum, ſed & pro ſolutione eſt *l.* 27. *ff. h.* vel acceptilatione *l.* 40. *ff. eod.* Alias ſi fidejuſſor juraverit, ſe non fidejuſſiſſe, non proderit reo principali, nec liberabitur *d. l.* 28. §. 1. *&* *l. ult.* §. 1. *ff. h.*

Si autem jusjurandum fidejuſſoris reo principali profit, multo magis proderit domino, ſi deferente actore procurator juraverit, dominum dare non oportere, atque adeo domino acquiritur exceptio *l.* 9. §. *pen. ff. h.* modo jusjurandum ipſi procuratori delatum ſit, ut ipſe juraret; ſi enim actor domino detulerit, alius nomine ejus jurare nequit *l.* 12. §. 4. *C. d. R. C.* Idem etiam in defenſore *d. l.* 9. §. *pen. l. ult.* §. *pen. ff. h.* quia ſi partes alterius ſuſceperit, vel ſatisdederit, domini loco eſt *l.* 76. *ff. l.* 23. *C. d. procur.*

Servis vel filiisfamilias jurantibus, dominos vel patres non debere, dominis vel patribus datur exceptio: imputentque deferentes ſibi, quod talibus jusjurandum detulerint *l.* 23. *ff. h.* cum ſciant, eos non poſſe conditionem eorum quibus ſubjecti ſunt, deteriorem facere, ſed quidem meliorem *l.* 24. *ff. eod.*

CAP. XI.

Hiſce abſolutis ordinis ratio exigit, ut agamus de Neceſſario Jurejurando; hoc autem, ut diximus *Cap.* 2. eſt, *quod a parte parti defertur in judicio, vel refertur, vel parte petente a judice.*

Defert igitur hoc Jusjurandum *pars parti*, non tamen per modum conventionis, ſed ex auctoritate, ſive approbatione judicis impetrata *l.* 12. §. 1. *C. h.* & quamvis de facto eve-

evenire poſſit, ut quis ultro id ſuſcipiat, non tamen hoc Jusjurandum deſinet eſſe Neceſſarium, non magis quam ſtipulationes prætoriæ vel judiciales tales eſſe deſinunt, etſi quis ultro eaſdem contrahat; non enim tam conſideramus, quid ex accidenti aliquando fiat, quam quomodo jus circa rem aliquam diſponat. & quorſum etiam opus adire judicem, ſi a principio animus fuerit Jurejurando rem decidere?

Etiam Neceſſarium ab ipſo judice parte petente poteſt deferri, perinde enim eſt, an id a parte, auctoritate judicis adhibita, deferatur, an ab ipſo judice, cujus factum etiam haberi ſolet pro facto partis id petentis *arg. l.* 1. *C. ſi in cauſ. jud. pign. capt. ſit.*

Ei autem, cui Jusjurandum defertur, incumbit jurare, vel referre, vel cauſa cadere *l.* 34. §. 6. & 7. *ff. h.* modo deferens prius juraverit de calumnia, id eſt, modo juraverit, ſe non calumniandi vel vexandi animo adverſario deferre Jurisjurandi conditionem; fieri enim poſſet, ut deferens, ſciens ſibi nihil deberi, ideo deferret tantum Jusjurandum, ut vel traduceret alterum tanquam contemptorem religionis, ſi juraviſſet; vel putaret, adverſarium metu religionis non facile juraturum, ut hac illius ſuperſtitione in re falſa abuteretur: ſane in utramque partem vel nimis temerarie jurando, vel etiam nimis ſcrupuloſe id declinando non raro peccatur, cum ſecundum Ulpianum *l.* 8. *ff. d. cond. inſt. ſint faciles nonnulli hominum ad jurandum contemptu religionis, alii perquam timidi metu divini numinis uſque ad ſuperſtitionem.* Æquum igitur eſt, ut is, qui hoc defert, prius conditionem in ſe admittat, quam in adverſario æquam putat *l.* 1. *ff. quod quiſq. jur.* & ſi deferens de calumnia jurare recuſet, actio illi denegabitur *l.* 34 §. 4. *ff. d jurej.* ſi, nempe, ſit actor; ſi reus, cauſa cadet: hoc vero præſtito alteri aut jurandum, aut referendum, vel cauſa cadendum eſt *d. l.* 34. §. 4. & 7.

 Nemo

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 178

Nemo tamen cogitur jurare de calumnia, niſi id exigatur *d. l.* 34. §. 4. non enim convenit deferenti, ut ipſe ſe ad jurandum offerat, ſeſeque nimiæ in jurando facilitatis ſuſpectum reddat.

Ab hoc calumniæ juramento immunes ſunt parentes & patroni *l.* 14. *l.* 16. *ff. h. l.* 8. §. 5. *ff. qui ſat. cog. l.* 7. § 3. *ff. d. obſ. par. & pat. præſt. l.* 13. §. 14. *ff. d. damn. inf.* Quibus tamen textibus graviter obſtat *l.* 34. §. 4. *ff. d. jurej.* ubi traditur, Jusjurandum calumniæ neque parenti neque patrono remitti; cum tamen omnibus in cauſis ob reverentiam perſonarum iis dicatur remitti tale Jusjurandum *dd. ll.* etiam in hoc ipſo caſu, quo ipſi Jusjurandum deferunt *l.* 7. §. 3. *ff. d. obſ. par. & pat præſt.* quæ lex, ut & *l.* 16. *ff. d. jurej.* ejuſdem eſt Ulpiani, utraque ex *lib.* 10. *ad Edictum* deſumpta, & ejusdem eſt etiam *d. l.* 34. hauſta ex *lib.* 26. *ad Edictum,* imo illius eſt & lex 13. §. 14. *ff. d. damn. inf.* ex *lib. ad Edictum* 53. Et tamen Ulpianus ipſe ſibi in re adeo clara contradicere non potuit in iiſdem ad Edictum commentariis: & ratio, quam ſubjicit *d. l.* 7. §. 4. adeo evidens eſt, ut nihil ſit clarius, inquit enim: *quia de calumnia patroni queri* (libertus) *non debet: his enim perſonis etiam in cæteris partibus edicti honor habebitur.* Jusjurandum etiam hoc de calumnia, licet non, niſi auctore Prætore, deferatur, tamen non aliter auctor eſt Prætor, ut deferatur, quam ſi is, cui jusjurandum delatum eſt, id exigat. atqui non poteſt exigi hoc jusjurandum calumniæ, quin is, qui id exigit, objiciat ſuſpicionem quandam calumniæ, quam parentibus & patronis objici nimis durum certe, ac inverecundum eſt ob reverentiam, quæ illis debetur.

Ob dictos ergo textus adductaſque rationes ſtatuo lectionem *d. legis* 34. §. 4. eſſe corruptam, & pro *neque patronis, neque parentibus,* legendum, *æque patronis, & parentibus,* ut habet editio vulgata, ſive, *æque patronis atque parentibus,* ut alii

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 178

alii mallent, & ita affirmative etiam hic locus verſus in Baſilicis *Vid. Gothof. ad d. l.* 34. §. 4.

Fruſtra vero ad tuendam lectionem hodiernam adducitur *l.* 14 *ff d. jurej.* ubi dicitur, quoties propter rem juratur, nec parenti, nec patrono remitti jusjurandum. Sed lex illa ſententiam noſtram potius confirmat, jusjurandum enim calumniæ non eſt de re, quæ petitur vel cauſa ipſa, ſed de perſona ejuſque intentione & animo.

Exceptis ergo parentibus & patronis cæteri tenentur prius jurare de calumnia: quo jurejurando præſtito, alter, cui Neceſſarium delatum eſt, id præſtare debet, niſi malit referre; & ſi is, cui relatum eſt, conditione jurisjurandi non utatur, Prætor ei judicium non dabit. Hoc ita, ſi actor detulerit primus; atque adeo etiam e diverſo, ſi reus id detulerit primus, & relatum ſuſcipere nolit, condemnabitur: & juſtiſſime quidem, cum non oporteat diſplicere conditionem jurisjurandi ei, qui ipſe primus id detulit *l.* 34. §. 7. *ff. h.* Is autem, qui refert, non jurat de calumnia, quia non eſt ferendus deferens, ſi conditionis nomine, quam ipſe detulit, de calumnia ſibi velit jurari *l.* 34. §. 7. *ff. h.*

Addidimus etiam in definitione, quod Jusjurandum Neceſſarium deferatur *in judicio.* quam vocem tamen non intelligimus tantum de eo loco, in quo judex pedaneus olim judicabat: ſed etiam de jure, ſive loco, in quo magiſtratus jus dicebat, uti notum eſt, judicium etiam de utroque loco ſumi *vid. Briſſon. d. V. S.* Et ſic juxta jus novum, quo illa, quæ olim dicebantur in jure fieri, dicuntur hodie fieri ante litem conteſtatam; quæ vero olim in judicio, hodie poſt litem conteſtatam fieri dicuntur: ſecundum jus novum, inquam, & ante, & poſt litem conteſtatam deferri poterit, uti olim id fuit factum & coram Prætore *d. l.* 34. §. 6. *h.* & coram judice, pedaneo, ſcilicet *d. l.* 34. §. *ult.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 178

Et quidem quando ante litem conteſtatam defertur; tunc partes magiſtratus erunt id exſequi extra ordinem, qua ratione ait Prætor *d. l.* 34. §. 6. *Eum, a quo jusjurandum petetur, ſolvere, aut jurare cogam.*

Nulla autem actio hac parte edicti proponitur; ſed magiſtratus ipſe Jusjurandum exſequitur, nec locus eſt actioni vel exceptioni judicati, cum non tantum nihil ſit judicatum, ſed ne lis quidem conteſtata.

Sed quoniam non ſemper ſolutio ita prompte fieri poteſt, & etiam illo caſu, quo reus juravit, ſe non debere, nullus eſt exſecutioni & exactioni locus; ne igitur Jusjurandum hoc in ſequens tempus effectu deſtituatur, æquitatis ratio ſuadere videtur, ut utiliter hic admittamus actionem vel exceptionem ſive jurisjurandi, ſive rei judicatæ; quemadmodum & in confitentem in jure actionem dari notum eſt.

Quando vero poſt litem conteſtatam Jusjurandum hoc defertur, quoniam judicem pronunciare oportet de re, de qua cognovit *l.* 74. *ff. d. judic.* ferenda erit ſententia a judice, abſolutoria, ſi reus juraverit, ſe non debere quod petebatur, vel condemnatoria, ſi deferente reo actor contrarium juraverit, & tunc locus eſt actioni vel exceptioni rei judicatæ, non jurisjurandi *l.* 34. §. *ult. ff. h.* eodem modo ac fit contra eum, qui in judicio poſt litem conteſtatam confeſſus eſt *l. ult. C. d. execut. rei jud.*

Illud tamen notandum eſt, non eſſe circa deferendum hoc Jusjurandum rem per omnia in poteſtate alterius partis, nec ſemper ſtatim illum, cui defertur, jurare cogi, vel referre; ſed requiri hic cognitionem cauſæ antequam judex id injungat, ſi quis ei reluctetur; cauſæ enim, ob quas id recuſari queat dantur variæ, quarum potiſſimas enumerabimus.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 178

CAP. XII.

Prima recuſandi cauſa eſt, ſi deferens ipſe nolit jurare de calumnia, æquum enim eſt, ut prius conditionem in ſe admittat, quam in adverſario æquam putat, ut capite præcedenti diximus.

Secunda, ſi quis ſemel detulerit jusjurandum, & id revocaverit, uti illi conceditur nova & ſpeciali lege Juſtiniani in caſu, quo jam habere ſe probationes exiſtimat, quibus rem poſſit conficere *l.* 11. *C. h.* hic non auditur, ſi poſtea iterum id velit deferre *d. l.* 11. *C. h.* quoniam nemo poteſt conſilium ſuum mutare in alterius injuriam *l.* 75. *ff. d. R. J.* Is quoque, qui revocat, intelligitur profiteri, ſe fidem adverſarii, cui detulerat, ſuſpectam habere, & ejus religioni ſtare nolle. quare poſtea eum ludibrio haberi non permittitur.

Tertia eſt, ſi is, cui jusjurandum defertur, habeat juſtam ignorantiæ cauſam, quo caſu vel remittendum ei eſt jusjurandum abſque neceſſitate referendi adverſario: quod quidem maxime obtinet in facto & cauſa aliena, de quibus nemo jurare cogitur *l.* 11. *§.* 2. *ff. d. act. rer. amot.* Uti fit in procuratoribus & defenſoribus, quibus ſufficit ad plenam defenſionem, ſi parati ſint judicium accipere *l.* 34. §. 3. *ff. h.* Sic nec filius de facto patris defuncti jurare cogitur, nec tutores nec curatores, quia rei veritatem ignorare cenſentur, & ſic grave videbatur, tutores ignorantes & invitos ſub alieni compendii emolumento etiam perjurium anceps ſubire *l.* 4. *ff. d. in lit. jur.* Eadem ratione heres de contractu defuncti jurare non compellitur; jurare enim ſcientem oportet ſciente animo ſuo; heres autem juſtam habet ignorantiæ cauſam, qua de re ita Gajus *l.* 42. *ff. d. R. J.* *Qui in alterius locum ſuccedunt, juſtam ha-*

bent ignorantiæ cauſam, an id, quod peteretur, deberetur; fidejuſſores quoque non minus quam heredes juſtam ignorantiam poſſunt allegare. Hæc ita de herede dicta ſunt, ſi cum eo agatur: non etiam ſi agat, nam plane qui agit certus eſſe debet, cum ſit in poteſtate ejus quando velit experiri, & ante debet rem diligenter explorare, & tunc ad agendum procedere.

Quarto in illis cauſis, in quibus quis non cogitur judicium ſubire, de iiſdem nec jurare compelli poteſt, ut in literarum obligatione *l.* 14. §. 3. *C. d. non. num. pec.* v. gr. ſi quis chirographo ſuo confeſſus eſt, ſe ab aliquo certam pecuniæ ſummam accepiſſe, quam non accepit, neque intra biennium confeſſionem ſuam retractavit, valide eſt obligatus *t. t. Inſt. d. lit. obl.* & ſi poſt id tempus elapſum velit alteri deferre Jusjurandum de hoc, quod pecuniam is numeraverit, non admittetur, quoniam elapſo biennio querela non numeratæ pecuniæ eſt perempta, & creditor amplius de ea re non cogitur judicium pati, cum non amplius quæratur, an pecunia numerata ſit, ſed ſcriptura juris auctoritate pro veritate habeatur, & confitentem validiſſime obliget *d. t. t. l.* 8. *C. d. non. num. pec.*

Quinto eodem modo etiam recuſari poteſt Jusjurandum alicui delatum in foro incompetenti, nam exceptionem fori declinatoriam habens jurare non cogitur, nec reſpondere interrogationi judicis, nec poſitionibus adverſarii: ſic legati Provinciales, quia Romæ non coguntur judicium accipere *l.* 35. §. *ult. ff. h.* compelli nequeunt ibidem ad jurandum, hoc enim Jusjurandum etiam lite non conteſtata delatum in locum litis conteſtatæ ſuccedit, atque ſic jurando ſeſe judicio ſubmitterent *l.* 28. §. 2. *ff. d. judic.*

Sexta cauſa eſt, ſi deferentes non habeant jus deferendi, quales ſunt qui ſub tutoribus & curatoribus agunt, ſive enim jusjurandum pro pacto convento, ſive pro ſolutio-

lutione, ſive pro judicio cedat, tamen ab aliis delatum probari non debet, quam qui ad hæc habiles ſunt, ut ait Paulus *l.* 35. §. 1. *ff. h.*

Septima, ſi formula ſit improbatæ religionis, oportet enim, ut jusjurandum deferatur modo licito, V. C. ſi quis alicui in orbe Chriſtiano velit obtrudere jusjurandum per Alcoranum Turcicum, merito alter jurare recuſabit, & ſi omnino juraverit, pro eo habetur, ac ſi juratum non eſſet *l.* 3. §. 3. *ff. h.* Si vero inter partes de formula jurisjurandi non conveniat, judex hac de re arbitrabitur *l.* 34. § 5. *ff. eod.* Impium etiam erit jusjurandum, quo Deo tribuitur quod ei non convenit, ut ſi juretur per caput vel capillos Dei *Nov.* 77. in qua conſtitutum eſt, ut ſi quis tale quid committat, præter id quod miſericordia Dei ſe indignum faciat, puniatur pœna blaſphemiæ: & ipſe præfectus, qui tales abſque pœna dimiſerit, præterquam quod obligatur judicio divino, etiam Imperatoris indignationem ſuſtinebit *d. N. c.* 1 *vers. ſi enim &c.*

Diſputant interpretes, an jusjurandum delatum ab actore, qui nihil probavit, reus poſſit recuſare? quod mihi non placet, ſed talem pro convicto & confeſſo puto eſſe habendum *l.* 38. *ff. h. t.* ubi ita ſcribit Paulus. *Manifeſtæ turpitudinis & confeſſionis eſt, nolle nec jurare, nec jusjurandum referre.* Et quid æquius eſt, quam ut is, quem deficiunt probationes, timore numinis divini veritatem ab adverſario, quem in ſua cauſa judicem facit, extorqueat? Præterea non diſtinguitur in edicto Prætoris quod exſtat *l.* 34. §. 6. *ff. h.* ut nec in aliis locis, utrum probationes attulerit actor, nec ne: ſed tantum requiritur, ut is, a quo jusjurandum petetur, juret, vel ſi jurare nolit, cogatur a Prætore ſolvere. Quare etiam noſtrum non eſt diſtinguere Facit etiam huc *l.* 25. §. *pen. ff. d. probat.* quæ permittit delationem jurisjurandi adverſario de rei veritate in tali caſu, in quo

de-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 178

deferenti incumbit probatio. Sic etiam tutor dicitur hoc Jusjurandum deferre omnibus aliis probationibus deficientibus *l. 35. pr. ff d. jurej.*

Diſſentientium argumentum præcipuum petitur ex *l. 7. C. d. teſtib.* quod actori non liceat petere probationes de domo vel e ſinu rei, ſed propriis allegationibus debeat uti ad reum convincendum *l. 9. C. d. O. & A* quo non facto is, qui convenitur, obtinere debeat, etiamſi nihil ipſe præſtiterit *l. 4. C. d. edend.* Sed reſpondeo, quod tantum abſit, ut actor, qui probationibus deſtitutus reo jusjurandum defert, illas de domo rei ſumat, & onus probandi ei imponat, ut ipſum potius judicem faciat in propria cauſa *l. ult. C. d. fideic.* & qui jurare recuſat, merito habendus eſt pro confitente, ſe malam cauſam habere *l. 38. ff. d. jurej.* Qui plura de hac quæſtione cupit, adeat *Cujac. lib. 22. Obſ. c. 28. Vinn. Sel. Quæſt. lib. 1. c. 42.*

Enumeravimus ergo præcipuas recuſationis cauſas. Si igitur quis nullam juſtam cauſam allegaverit, & jurare recuſet, pro convicto atque confeſſo erit *l. 38. ff h.* & huic nihil reliquum erit, quam ut ſolvat, vel actione cadat; dat enim Prætor electionem, utrum jurare velit, & ſic vincere, an vero jusjurandum repudiare, atque ſic ſolvere *l. 34. §. 6. ff. eod.* nempe, quando is eſt reus, cui id delatum eſt, atque adeo ſi is ſit actor, is etiam merito cauſam amittet: præſumitur enim non alia eſſe recuſationis cauſa, quam metus perjurii, & quod recuſans ſibi conſcius ſit, ſe iniquitatem fovere; alioqui juraret quidem, & ſua quaſi ſententia victor evaderet. & ut modeſte facit deferens, cum adverſarium ſuum judicem facit in propria cauſa, ita impudens judicandus, qui talem conditionem ſibi oblatam ſine juſta cauſa recuſat.

CAP.

CAP. XIII.

CÆterum, ut jam ante diximus, præſtatio hujus Juriſjurandi, vel etiam recuſatio rem totam per ſe non abſolvit, ſi, ſcilicet, poſt litem conteſtatam res geſta fuerit: ſed opus eſt ſententia judicis, qua cauſa decidatur *l.* 34. §. *ult. ff. l.* 12. §. 1. *C. h.*

Hic autem non immerito quæretur, an poſt Jusjurandum hoc præſtitum vel recuſatum adhuc ſit locus appellationi. Et ſiquidem juratum fuerit ab eo, cui id delatum, vel relatum eſt, nullus appellationi locus relinquitur *d. l.* 12. §. 1. Idem juris ſi is, cui id relatum eſt, id recuſaverit *d. l.* At ſi is, cui id delatum eſt, id recuſaverit, putans ſe juſtam habere cauſam, & tamen contra eum, tanquam immerito illud recuſantem, lata fuerit ſententia, locus eſt appellationi *d. l.* §. 2. ut, videlicet, quæratur in judicio appellationis, an juſtam habuerit recuſandi rationem; & ſi judex appellationi præſidens bene quidem illatum jusjurandum, non rite autem recuſatum pronunciaverit, tunc res ſecundum quod judicatum eſt, permanebit, & judex appellationis eam ſententiam comprobabit. Sin autem non rite quidem illatum, recte vero recuſatum pronunciaverit, tunc ei licebit ſententiam judicis inferioris, quæ quaſi ex recuſato ſacramento proceſſit, emendare, & cauſa incipiet eo loco eſſe, quaſi jusjurandum non eſſet delatum, & lis æqua lance trutinabitur.

Ei tamen, qui detulit jusjurandum, ſive id fuerit præſtitum, ſive recuſatum, non reſervabitur provocationis remedium, rationemque reddit Juſtinianus in *d. l.* §. 3. quod nimis crudele ſit parti, quæ hoc detulit, propter hoc ipſum, quod judex ejus petitionem ſecutus eſt, ſupereſſe provocationem.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 178

CAP. XIV.

Reſtat jam tertia rubricæ hujus ſpecies Jusjurandum *Judiciale*, quod definivimus eſſe, *quod à judice defertur nunc actori, nunc reo in cauſis dubiis.*

Ex definitione hac patet, non eodem modo hoc deferri, ut Neceſſarium; circa Judiciale enim judex, etſi non rogatus, impertitur officium ſuum *arg. l.* 31. *ff. h. l.* 3. *C eod.* ſufficit namque eum ſemel & in genere per provocationem ad judicium eſſe rogatum, ut cauſam ſua ſententia dirimat; & quid clarius, quam judici illa omnia conceſſa eſſe, quæ ad id poſſunt tendere? *arg. l.* 2. *ff. d. jurisd.* igitur & illi eſt relicta facultas, cum res id ſuadere vel poſtulare videtur, alterutri parti jusjurandum deferendi, & eum, cui id delatum eſt cogendi, ut juret, vel nolentem id ſuſcipere, tanquam confeſſum condemnandi, vel adverſarium abſolvendi.

Jusjurandum hoc referri nequit, non adverſario, quia is non detulit; non judici, quia de re judicis non agitur.

Defert igitur hoc jusjurandum judex, ejuſque poteſtas in hoc deferendo tribus conditionibus eſt adſtricta *l.* 31. *ff.* & *l.* 3. *C. h.* Prima eſt, ne deferat, niſi cauſa laboret inopia probationum, ſi enim actor illas ſatis claras & evidentes attulerit, has judex ſequatur oportet, ſi actori injuriam inferre nolit, ideoque reum condemnet, & juris remediis ad ſolvendum cogat *l.* 9. *C. d. O. & A.*

Secunda, ut non deferat in quavis inopia probationum, ſed in *cauſis dubiis*, adeoque non ſtatim, etiam ubi nihil probatum eſt, nec quicquam eſt, quod fidem faciat aliquam, tunc enim abſolvendus eſt reus *l.* 4. *C. d. edend.*

Anxie

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 178

Anxie autem hic controvertitur, quænam ſit habenda *cauſa dubia*. Quidam arbitrantur, cauſam dubiam eſſe, quando judex eſt dubius ob minus plenas probationes, & hoc intelligunt de eo caſu, quo actor ſemiplene probavit, uti per unum teſtem omni exceptione majorem.

Alii cauſam tunc dubiam eſſe arbitrantur, quando judici non liquet, & eo redactus eſt propter paritatem probationum, forte ab utraque parte plenarum, ut hæſitet, utram in partem propendere & inclinare debeat, quæ eſt Donelli & Duareni ſententia, ideo quod eadem ſignificatione reperitur *quæſtio dubia* apud Modeſtinum in *l.* 10 *ff. d jure fiſc.* & apud Ciceronem *in Orat. pro. Q. Ligario c.6. Principum dignitas erat pene par, non par eorum qui ſequebantur, cauſa tum dubia, quod erat aliquid in utraque parte quod probari poſſet: nunc melior certe ea judicanda eſt, quam etiam Dii adjuverunt.* Similiter apud Terentium *cœna dubia*, cum tantus eſt ciborum apparatus, ut neſcias, quid potiſſimum ſumas.

Ego illorum ſententiam ſequendam puto, qui exiſtimant, id eſſe relinquendum arbitrio judicis; etſi enim actore non probante reus dicatur abſolvendus, evenit tamen interdum, ut judici tales occurrant circumſtantiæ, ut vir bonus non poſſit ſibi perſuadere, reum nihil debere. Judex ergo videbit & examinabit, utrum probationes actoris ſint ſatis graves, ut reum condemnet, aut deficientibus probationibus requiſitis reum abſolvat; an vero hæreat, nec ſatis tutum alterutrum credat, atque adeo ad jusjurandum recurrat: ad quod tamen non debet recurrere, niſi in re valde exigente, & tanquam ad ſacram anchoram. Definire rem eam veteres noluerunt, quia ſciebant, circumſtantias hic ſpectandas eſſe innumeras pariter ut in probationibus & teſtibus, circa quæ proinde & quid ſtatuendum, & quantum iis deferendum ſit, judicis arbitrio

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 178

relinquitur *l.* 3. §. 1. & 2. *ff. d. teſtib.* & ſic alibi res in jure non deciſæ arbitratui judicis relinquuntur *l.* 1. §. 1. *ff. d. jure delib.* atque ideo ſecurius eſt rem totam arbitrio judicis relinquere.

Illa vero loca Ciceronis, Terentii, aliorumque nimis longe petita videntur, nec quicquam inde ſolidi hac in parte concluditur: imprimis ſi conſideremus, dubias hic etiam illas eſſe cauſas, ubi eſt inopia probationum *l.* 3. *C. h.* quæ non poteſt dici adeſſe eo tantum caſu, quo uterque plene probavit, uti volunt Donellus & Duarenus: quo caſu non inopia magis, quam copia laboratur.

Non diffiteor tamen, poſſe forte quandoque fieri, & contingere, ut anceps talis caſus accidat, in quo ob probationes hinc inde adductas judici aqua hæreat, cauſaque ſit dubia, judexque proinde vel actori, vel reo jusjurandum deferat. attamen regulariter cenſeo, reum eſſe abſolvendum, quando probationes ſunt plane contrariæ, & è diametro adverſus ſe invicem pugnantes: tunc enim actoris probationibus per contrarias rei eliſis, perinde eſt habendum, ac ſi nihil probatum eſſet, atque ideo reus eſt abſolvendus per *l.* 188. *ff. d. reg. j. l.* 38. *ff. d. re jud.*

Minus tamen adhuc ſtare poteſt illa prima ſententia, etſi hodie paſſim recepta, nempe Vinnii aliorumque, ſtatuentium, tunc eſſe cauſam dubiam, & judicem jusjurandum deferre poſſe, quando actor ſemiplene, puta per unum teſtem omni exceptione majorem probavit; apertiſſime enim cavetur in *l.* 9. §. 1. *C. d. teſtib.* quod unus teſtis ne audiri quidem debeat, tametſi præclaræ curiæ honore præfulgeat; quod directe illorum ſententiam deſtruit, & quomodo cum illa conciliari poſſit non video, cum hic ne quidem audiatur is, qui præclaræ curiæ honore præfulget; qui certe eſt teſtis omni exceptione

majoi:

major: atque adeo non faciet hic unus teſtis cauſam dubiam, & ſi actor unum tantum produxerit teſtem, neque adſint alia indicia, reus eſt abſolvendus *l. 4. C. d. edend.*

Adducunt tamen diſſentientes ad adſtruendam ſuam opinionem de probatione ſemiplena per unum teſtem textum, qui eſt in *l. 14. ff d. dot. præl.* ex quo colligunt, unius teſtimonio fidem eſſe habendam. Sed longe alius eſt reſponſi illius ſenſus: illud enim agit de caſu, ubi teſtator amico cuidam ſuo commiſit, ut ſi filia ſua in matrimonium collocaretur, dotem ex arbitrio ſuo conſtitueret; is id *fecit*; creditur quidem ei, & ſtatur ejus opinioni, atque definitioni, non tanquam meri teſtis, ſed ob ſpecialem voluntatem teſtatoris, qui eum quaſi arbitrum vice ſua functurum, elegit.

Scrupulum quoque movent ex *l. 3. C. h.* in qua traditur, deferri poſſe a judice jusjurandum propter inopiam probationum, & ex *l. 31. ff. h.* ubi id dicitur fieri in dubiis cauſis, & dicunt, unum teſtem arguere inopiam probationum, & facere cauſam dubiam. Sed primo reſpondeo, ex illis legibus non poſſe colligi, quid ſit inopia probationum, & quæ cauſa dubia. Secundo fateor, jusjurandum deferri poſſe ob inopiam probationum, & in cauſa dubia: verum unus ſolus teſtis non inducit hic inopiam probationum, nec cauſam dubiam facit: ſed unus teſtis arguit potius defectum probationum; inter quem & inopiam maxima eſt differentia: defectus enim eſt, ſi idoneæ non ſuppetant probationes, ut in illa, quam vocant, ſemiplena probatione, cum unus teſtis ſit nullus teſtis: inopia vero eſt quando quædam probationes ſuppetunt, ſed tamen nondum per omnia ſunt tales, ut judici plene perſuadeant: & ſic dicimus, unum teſtem non inducere inopiam probationum, nec cauſam dubiam reddere, ut judex jusjurandum deferre debeat; is namque obſervare debet, ne ob probationes parvas facile ad jusjurandum decurrat *Cujac Obs. lib. 22. c. 28.*

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 178

Tertia conditio eſt, ut judex jusjurandum deferat cauſa cognita: non enim ſtatim deferet actori, qui aliquid probavit, ſed prius inſpiciet perſonarum & cauſæ circumſtantias, fidem earum, & qualitatem rei; atque illis bene perpenſis, videbit, an expediat jusjurandum deferre, & cui: in dubiis tamen potius reo deferet, quam actori, quoniam rei partes in dubio ſunt favorabiliores. *l.* 47. *ff. d O. & A.*

Jusjurandum autem illud, quod reo defertur, DD. vocant purgatorium, & definiunt eſſe, quod judex defert reo, qui non quidem eſt convictus, ſed præſumptionibus gravatus, ut per hoc Jusjurandum ſeſe purget a ſiniſtra ſuſpicione, *l.* 31. *ff. h.* Cujus jurisjurandi purgatorii uſus jure Canonico latius patet, etiam in criminibus, & vocatur purgatio canonica *t.t.* x. *d. purg. can.* & diſtinguitur a purgatione vulgari, quæ fit per duellum, ferrum candens &c. de qua *t.t.* x. *d. purg. vulg.* quæque prohibita eſt. Cæterum quod actori defertur a judice, vocant ſuppletorium, quod illis eſt, quod judex defert actori, qui probationes attulit tantas, ut judex non dubitet, quin res ita ſe habeat, attamen probatio non ſit omnibus numeris plena, ut ita jurando illas probationes ſuppleat.

CAP. XV.

ULtimo tandem loco videamus, quis ſit effectus Jurisjurandi Judicialis, quid juris circa appellationem, & denique, an ob inſtrumenta poſtea reperta poſſit retractari Jusjurandum Judiciale.

Effectus ergo delati & præſtiti hujus jurisjurandi eſt, ut judex ſecundum eum, qui juravit ſententiam ferat, &, ſi actori detulerit, isque juraverit, ut tunc reum condemnet, ſi vero reo detulerit, & is juraverit, ut tunc ſecundum eum fera-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 178

feratur ſententia abſolutoria, & ſic actor jubeatur a petitione deſiſtere.

Verum quæritur, an, ſi a delatione jurisjurandi provocetur ad ſuperiorem judicem, nihilominus illud poſſit præſtari? Et quidem hanc in rem exſtat evidens Juſtiniani conſtitutio in *l.* 12. *C. h.* volens, jusjurandum ſententia judicis delatum, ſive in principio, ſive in medio litis, ſive in ipſa definitiva ſententia, etſi ab ea provocatum ſit, tamen ſub eodem judice, & quidem ſtatim ab eo, cui delatum eſt, poſſe præſtari, non expectata ultima definitione, vel provocationis formidine. Secundum rationem juris ſtrictam jusjurandum interpoſita appellatione non poſſet præſtari; nam cum jusjurandum ſententia judicis delatum eſt, ſi ab ea appelletur, jusjurandum pro non delato habetur, quia appellatio extinguit ſententiam, & reducit negotium quaſi ad tempus litis conteſtatæ *l.* 1. *§. ult ff. ad SCt. Turp.* Quod ipſe Juſtinianus ſatis indicat ſecundum rationem juris ita obtinere, cum dicit, ſe neceſſitate rerum coactum contrarium ſtatuere: neceſſitas autem hæc eſt, quod, ſi præcedente appellatione non liceret jurare, eveniret hoc incommodum, ut forte eo, cui delatum eſt, interim moriente, probationes rerum tam juraturo, quam deferenti intercidant; *juraturo*, quoniam ſi mortuus eſt, certum eſt eum jurare non poſſe, & ſic jusjurandum, quod eſt pro juſta probatione intercidet: *deferenti*, quia ſi is, cui id delatum eſt, viveret, fortaſſe bonam fidem agnoſceret, & non juraret, & ſic ejus recuſatio, niſi ex juſta cauſa, pro confeſſione haberetur *l.* 38. *ff. h.* Sed forte dicet quis, non eſſe metuendum hoc periculum, nam ſi perſona principalis, cui delatum erat jusjurandum, ab hac luce ſubtrahatur, tamen ſupereſt heres ejus, qui æque jurare poterit. At reſpondeo, heredem jusjurandum defuncto delatum non teneri præſtare, juſtam enim ignorantiæ cauſam poteſt allegare *l.* 42. *ff. d. R. J.* nemo enim cogitur jurare de facto alieno *l.* 11. §. 2. *ff. d. act. rer. amot.* Imo illi etiam non facile hoc ipſum

indulgendum videtur, etſi quammaxime vellet, cum cauſæ, ob quas defuncto illud delatum eſt, in herede plane poſſint ceſſare; non tantum quia heres non æque novit res & jura hereditaria ac defunctus noverat; ſed quia fieri poſſet, ut defunctus fuiſſet vir bonus, & ob metum perjurii jurare noluiſſet, heres autem contemptor jurisjurandi non metueret jurare etiam in re falſa. Quare etiam Juſtinianus ſcribit, multum differre jusjurandum hereditarium a jurejurando principali.

CAP. XVI.

QUoniam autem Jurijurando Voluntario ineſt conventio atque tranſactio, quæ ob inſtrumenta poſtea reperta non retractatur, hinc etiam Jusjurandum Voluntarium non retractabitur ea de cauſa, id enim cum tranſactionibus pari paſſu ambulat, ut ſupra oſtendimus. De Neceſſario quoque, & an illo delato retractationi ſit locus, vidimus in præcedentibus. An idem ſit dicendum in Jurejurando Judiciali, quæritur. &, quoniam illi non ineſt cauſa tranſigendi, nec enim tam defertur arbitrio partium, quam etiam parte invita per judicem in ſupplementum probationum, vel purgationem, hinc illud ob inſtrumenta poſtea reperta retractari poteſt, ſi de veritate ex illis ſolis conſtare poſſit. Non erit abs re, ſi ſtatum quæſtionis proponamus; pone ergo, quod actor judice deferente, juraverit, ſibi centum ex mutuo deberi, quos reus etiam ſolvit; reus autem poſt aliquod tempus invenit apocham antea ſibi ignoratam, illamque profert, demonſtrans ex ea, actorem bis eandem pecuniæ ſummam a ſe accepiſſe contra bonam fidem, quæritur an reus rurſus ſit audiendus, & an cauſa ex integro poſſit agi? puto quod poſſit *per l.* 31. *ff. h.* in qua evidenter docet Gajus, quod permittatur conſtitutionibus Principum poſt jusjurandum hoc exactum ex integro cauſam agere, ſi quis dicat, ſe nova inſtrumenta inveniſſe, quibus nunc ſolis uſurus ſit, non ſi ex veteribus, quibus uſus fuerat, & cauſam obtinere non potuerat.

Sed

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 178

Sed addit *interdum* hoc permitti: quo indicare vult, cauſam jurejurando deciſam regulariter ob nova inſtrumenta non retractari; ſed in illo ſolo caſu, quando judex in dubiis cauſis detulit jusjurandum, & ſecundum eum, qui juravit ſententiam dixit, tum ei, contra quem eſt lata ſententia, id permitti, modo nova inſtrumenta proferat, quibus ſolis nunc utatur. Quemadmodum igitur res judicata ex falſis inſtrumentis ex integro agi poteſt *l. 33. ff. d. re jud. l. 11. ff. d. except.* ita etiam ſi poſt Jusjurandum Neceſſarium, quod vicem inſtrumenti & probationis obtinet, ſententia lata fuerit, ac deinde prolatis novis inſtrumentis probetur, falſum fuiſſe jusjurandum, merito cauſa retractabitur; & in hoc a Voluntario Judiciale differre docet idem Gajus in *d. l. 31.* idque fit ob tranſactionem, quam Voluntario ineſſe diximus; ſi enim non ſtetur tranſactionibus & tali jurijurando, nullus erit litium finis, cum pars læſa ſemper inde reſilire poſſet. *l. 10. C. d. tranſact.* Et multo lubentius partes acquieſcent in ea conventione, quæ libera voluntate ſuſcipitur; qua ſi læſæ ſint, nulli id, niſi ſibi ipſis imputandum habent. Cum vero in jurejurando, quod judex defert, pars læſa id iniquitati vel imprudentiæ judicis, vel alterius cujuſquam imputare poſſit, etiam merito facilius hoc caſu retractationi locus dabitur, & cauſa mediante tali falſo jurejurando deciſa iterum in judicium deduci, ac ex integro agi poterit.

COROLLARIA.

Condictio furtiva datur adverſus heredes furis in ſolidum.

2. *Venditor non tenetur præciſe rem venditam tradere, ſed præſtando id quod intereſt liberatur.*

3. *Qui ſciens rem alienam emit, de evictione, niſi ea promiſſa fuerit, agere, aut pretium quod ſolvit repetere nequit.*

4. *Non eſt ſtatuenda antinomia cum Wiſſembachio inter legem* 68. ff. d. hered. inſt. *&* legem 1. ff. d. leg. 2.

5. Lex 8. C. d. revoc. donat. *locum tantum habet in patrono & liberto, nec eſt extendenda ad alios.*

FINIS.

HONORI & MERITIS

Nobiliſſimi Doctiſſimique JUVENIS

Dn. THEODORI FORESTI

Diſſolutis Gordiis nodis
Spartam, quam nactus eſt, pro virili ornantis

ET

MATERIAM

DE

Jurejurando litis diciſorio pro
Doctoratu in utroque jure conſe-
quendo Publice Defendentis.

Poſt varios caſus tandem ſuffragia dextris
Succedunt, lætâ voce canenda, diis.
Poſt exantlatos toties totieſque labores
Adſpirat juſto non ſine more decus.
Græcia ne jactet, ne gloria magna. Quiritûm
Proferat in medium quod ſtupet ipſe polus.
Hornanâ de ſtirpe venit, qui Patris honores
Nititur immenſo laudis amore ſequi.
Publicat auguſtas Foreſti pagina leges,
Juraque & ingenii fertilis arva probat.
Interea ſuperis infeſtæ prælia linguæ
Surgunt, & cœlo litigioſa ſonant.
Palladis ira Deas ultro implacabile turbat
Dum Sophiæ Auctorem Vindicat atque Theſes.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 178

Pallas iniqua fuit Themidi; ſibi per mare jurans,
Per Stygias undas hoc opus eſſe ſacrum.
Quid quereris? clamat Themis, an non regula juris
Me juramento poſſe carere docet?
Præterea, quorſum hæ lites? cui munia dicta hæc?
Jus mihi, bella tibi dira movere datum:
Ille meis dudum â teneris excultus alumnus
Præceptis nunquid deſinet eſſe meus?
Ergo quid indigne ſtomacharis? inutile plane
Eſt jusjurandum, Diva Virago, tuum.
Palladis ira ſilet, Themidi victoria læta,
Gloria Foreſto non temerata manet.
Pax Superis; ſurgunt Doctori præmia palmæ,
Atque triumphanti parta trophæa manu.
Gratulor his auſis, lætos canit Horna triumphos
Per loca, per cunctas, voce ſonante, vias.
Accedunt Charites portantes cinnama, plauſu
Pierides, plauſu Delius ipſe favet.
Ecce canunt hilares, alternaque carmina jungunt
Sacra cohors, fronti florida ſerta ferens.
Macte novâ virtute; tuos, Foreſte, labores,
Ingenii dotes pandere perge tui.
Sic tibi florentem patriis virtutibus Hornam
Evehere, & claros vincere detur Avos.
Sic Phœbo quod erat Medicâ Foreſtus in arte,
Ille Tuus, Themidi ſis ſine fine ſacræ.

Hac ſinceræ amicitiæ & honoris
teſtandi ergo ſacra vult

J. AB HOOLWERFF.
Med. Candid.

EIDEM

Dum, juvenum prælustre decus, Tua facta per orbem,
Virtuteſque Tuas conor deducere ad aſtra,
Copia materiæ me diſtrahit, atque fatigat,
Sollicitumque facit, qui verba effundere poſſim:
Namque hic nobilitas generiſque antiqua propago,
Hinc virtus, mores, ſincera modeſtia vitæ,
Doctrinæque omnis præclara ſcientia veræ,
Quas Tibi quæſiſti primis creſcentibus annis,
Ac bene divino junxiſti fœdere prudens;
Te ſimul hæc decorant juvenem nunc omnia recte,
Quare etiam meritis magnis jam præmia digna,
Læta Tibi ſolvit, Generoſe, Franequera juſte:
TeThemis inque ſuam dignum nunc excipit aulam,
Ac jam Phœbea redimit Tua tempora lauro.
Inter Batavicas urbes elucet & Horna,
Quæ Tibi pro meritis gratos perſolvet honores;
Cum Tibi præclaro præclara ſtirpe creato
Grandia committet juveni moderamina rerum,
Quæ tu nobilium non infima gloria ſemper,
Juſtitia ac pietate ſimul moderabere caute.

M. VOOCHT,
LL. Stud.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 178

TER EEREN
Van den Edelen en ſeer geleerden
HEER
THEODORUS van FOREEST,
Als ſijn Ed. in Frieſlands Hooge School met groote eer, Doctor in de Reghten wierd gemaeckt.

Aanſpraak aan ſijn Eds-geboorten Stadt HOORN.

Doorluchtig Hoornen roem der ſteden
Die 't boord der Suyder Zee bekleden
Beroemd en hooghgepreſen Stadt,
Vermaard door haven, gracht en wallen,
Waar mee gy heerlijck ſtaat te brallen
Als een geſteent met gout om vat.

Roem niet alleen op uwe helden,
Welck op Neptunus breede velden
Tot voordeel van uw Stadt en Staat,
Roemrughtigh waaghden lijf en leven,
Om na de Lauwer-Kroon te ſtreven,
Welck Mavors Schenckt een braav Soldaat.

Roem niet alleen op rijcke Scheepen,
Welck wijd en ſijd, ja ombenepen,
Omvaaren d' heele Weerelt Kloot
Van daar de ſon met goude Straalen,
Des morgens rijſt en weer komt daalen,
Des avonts in Vrouw Thetis ſchoot.

Maar wilt met meerder reden roemen,
En uw van Godt gezegent noemen,

Wijl

Wijl gy ſo dick hebt voort gebraght
Een tal van Wijs en Schrand're Mannen
Welk ver de Kroone konnen ſpannen.
In wetenſchappen Hoog geaght.

Roemt op dit puyk der JONGELINGEN,
Wil dees ſijn lof volmondigh ſingen
Singh hoe hy in ſo teeren Jeughd
En in het bloeyen van ſijn Jaaren,
Een wijsheyts ſchat wiſt te vergaaren,
En kennis paaren met de deughd.

Singh hoe hy heden wort verheeven
Met d'Eer, welck Themis plagh te geeven
Aan die haar ſuyver reght bemint.
Singh hoe s' hem in haar goude Saalen
Als Prieſter ingewijd doet praalen,
Singh hoe s' hem teder heeft geſint.

Vleght niet alleen ſlechts lauwerieren,
Om ſijne wijſe kruyn te cieren,
Dees Eerkrans is voor hem te kleen:
Sijn Edele geeſt eyſcht ſchoonder Kroonen,
Gy moet ſijn vlijt veel meerder loonen,
Geev hem 't beſtier van het gemeen.

So ſal hy ſtaag uw reght, en wetten
Getrouw beſchermen, en ſe netten
Van onkond, misverſtand en blaam,
So ſal hy Weduwen en Weeſen,
Een voorſpraak en een Vader weſen
Tot lov van uw al oude naam.

So ſie 'k uw ſtaat ſeer heerlijck bloeyen,
So ſie 'k uw Eer en Roem aengroeyen,
So ſal hy door ſijn kloek verſtandt
Uw braave Borgery regeeren,
En haar geluk en heyl vermeeren,
Tot eer en glants van 't Vaderlandt.

Door

VITUS SALVERDA
J. U. D.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 178

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 178

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 178

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
444 E 178